Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2281
Quelle:
Copyright:

Henrici de Werle (ſeu Werlis) *ſacræ Theologiæ Magiſtri*, *et FF. Minorum Provinciæ Coloniensis Miniſtri anno* 1441. Eodem igitur, quo *Haſelbachius Aviſamenta* ſua N. 1. indicata *Moguntiae* propoſuit. Porro Tractatus hic idem eſt cum noſtro; nam et Prologus utrobique incipit: *Apoſtolus Paulus 1. ad Corinth. 1. iuquit. Obſecro vos fratres* &c. et Tractatus ipſe: *Rex pacificus ſacerdos dei altiſſimi Chriſtus* &c. Tam parum igitur *Henricus* Scriptum ſuum diffiteri voluiſſe videtur, ut potius, dum illud *Baſileenſes*, *non juſtum*, ut ait, *judicantes judicium, ſed ſecundum faciem* reprobarent, duobus illud novis firmaret Tractatibus, quorum Titulos videre eſt apud eundem *Harzhemium l. cit.* En itaque novas ad *Adparatum* Concilii *Baſileenſis* συμβολας.

V. *fol.* 90. a *Prologo* incipit: *Tractatus contra leuitates grecorum editus a fratre Manuele* (Caleca) *ordinis predicatorum in greco et translatus per Magiſtrum Ambroſium Parui ordinis eiusdem ad mandatum domini Martini Quinti et preſentatus eidem.* Initium Prologi eſt: *Cum quidem fraterne dilectionis cura maximi habenda eſt* &c. Initium Operis: *Cum Dominus noſter Jeſus chriſtus diſcipulis dixerit: Euntes in mundum uniuerſum* &c. Adlatum eſt Opus Libris IV. conſtans ad *Martinum* V. a F. *Antonio Maſſano* O. M. quem is ad *Emmanuelem* et *Johannem* Orientis Impp. ablegaverat, *CPoli*, ubi Autor circiter ad an. 1400. vitam egerat, de quo fuſe Bibliothecarii Ordinis T. I. p. 718. Graece nondum impreſſum eſt, latine vero edidit *Petr. Stevartius Ingolſtadii* 1608. 4. unde in *PP. Bibliothecas* cooptatum legitur T. XXVI. *Lugdun.* p. 383. At vero quo Interprete? Si omnes audias, fuit is *Ambroſius* ille celeber *Traverſarius* dictus *Camaldulenſis;* ſin autem Codicem noſtrum, *Ambroſium Parui* O. P. habes. Sed ride mecum lepidum Librarii lapſum. Praefatio Interpretis inſcribitur: *Domno S. ac Beatiſſ. Papæ Martino Ambroſius*, et incipit: *Parui præceptis tuis* &c. Viden *Ambroſium Parui?* Exemplar iſtud *Haſelbachium Baſilea* ſecum aſportaſſe, credibile eſt, unde etiam ſua *Joh. Gerſonius* et *Joh. de Turre cremata* tulerunt, ut eſt apud Bibliothecarios Ord. Praed. *l. ſupracit.*

VI. *fol.* 186. Opinio cujusdam ICti de Facto, quod his verbis praemittitur: *Magiſtra et Conuentus Monaſterij S. Jacobi Wyenn. Patav. Dioc. ord. S. Auguſtini emerunt pro ſe et ipſarum Monaſterio cenſum ſiue reditum annuum centum et decem florenorum auri et monete Hungar. a Magiſtro ciuium et conſulibus Wyenn. generaliter ſuper omnibus bonis ipſius ciuitatis pro tribus millibus et tricentis flor. auri et monete predictorum. Hoc tamen pacto interueniente, ut liceat ipſis venditoribus aut ſucceſſoribus eorundem cenſum prefatum, quandocunque voluerint, ab ipſis emptricibus aut ſequacibus earum*